3799

HR 3799.


In honorem nuptiarum
M. Francisci Nicolai
&
Marinæ Jacobi.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

DA B.on

= L N 655

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

3799

ΓΑΜΗΛΙΟΝ

COMPLECTENS

PRÆCIPVA HONESTORVM CONiugum officia, quæ in ſecundo libro œconomicorum Ariſtotelis continentur; in honorem nuptiarum Clariſsimi Viri M. FRANCISCI NICOLAI, Concionatoris in aula Friderichsburgenſi fideliſsimi; & ſponſæ eius pudiciſsimæ MARINÆ IACOBI.

Conſcriptum & collatum à iuuentute, quæ eſt in Schola Arcis Friderichsburgenſis.

HAFNIÆ,
Impreßit Laurentius
Benedictj.
1573.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

LEGES PROBÆ MVLIERIS.

1. οἰκουργία.

FIt regina potens coniunx, vbi ducitur: huius
    Subiacet imperio quod domus intus habet.
Non tamen arbitrio proprio, ſed lege miniſtret,
    Vt maneat columen, præſidiumq; domus.

2. Pudicitia.

Nominis integri multum ſtudioſa, cauebit
    Ne cuiuis pateant æmula clauſtra tori:
Exit enim in vulgus tentati fama pudoris,
    Cum ſubit alterius turba moleſta domum.

3. Frugalitas.

Largius impendat ſumptus mandante marito,
    Eroget in pompas nil tamen ipſa ſuas.

4. Integritas.

Non illi veſtes rutilantes murice & auro,
    Formaue quæ egregio corpore pulcra nitet,
Nec quæ de niueo ſunt longa monilia collo,
    Materia ornatus ſufficientis erunt:
Ipſius at probitas, caſti quoq; nobile nomen,
    Aſsidueq; domi velle manere ſuæ.
Sollicita integritas, ſobolis quoq; cura viriq;,
    Turpi delinquens garrulitate nihil.
Hæc ſunt æternæ quæ pondera laudis habebunt,
    Hoc decus in tota poſteritate viget.

5. Sedulitas.

Non hanc ſcire decet quid agat reſpub. tantum
    Attendat propriam qua regat arte domum,
Seria quæ fuerint linquat tractanda marito,
    Obſiſtat nunquam facta proterua viro.

Cogitet

BIBLIOTH. REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

Cogitet imperij ſibi quod ſit regula, noſſe
Quid placeat domino diſpliceatue ſuo.
Hoc fugitet ſummo conamine, & illud
Admittat, modo ſtet ſi benè recta domus.

Turpia ni mandet ſponſo eſt mos vſq; gerendus, 6. Manſuetudo.
Sit patiens vbi quid mente alienus agat.
Quiſq; ſuos etenim turbato in pectore neuos,
Multaq; circumfert diſſimulanda bonis.
Ipſa viri motus facili moderabitur arte,
Blanda ſilenſue poteſt flectere corda citò.
Eximium non eſt placido nupſiſſe marito,
Sed quæ moroſum ferre ſcit illa proba eſt.

Omnibus in rebus ſuccurrat commoda coniunx, 7. Patientia.
Pectore conſtanti ſingula quæq; ferat.
Ne ſi fortè premat fortuna aduerſa maritum,
Cogitet amplexu deſtituiſſe ſuo.
Non hunc contemnat quamuis vileſcit, egenis
Se quia mens rebus plus generoſa probat.
Proſperitate frui num præſtat quis roget, an ſit
Fortuna ſatius non miſerante premi?
Quin potius iunctis precibus ſua numina poſcant,
Omine fælici quò bene cedat opus.
Sed quia mortales agitat ſors aſpera, fiet
Alter vt alterius pendeat officio.
Hinc eſt qui placidè caſus tolerare moleſtos
Poſſit, & auxilium ferre paratus adeſt,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

Nouerit & ſocij duris ſuccurrere rebus,
Huius vt in toto clareat orbe decus.
Sic tua Penelope virtus laudabilis extat,
Nomen & Alceſtes ſecula nulla tacent.

LEGES SIVE VIRTVTES MARITI.

NOn minus ante aras vt nunc adoleuerit ignes
Sponſus, & in thalamos vt noua nupta ſubit,
Ipſe prior veluti contracti fœderis autor
Confeſtim leges diſcat habere ſuas.

1. Qualis vxor ducenda.

Ducitur hoc coniunx, fit & iſto fine maritus,
Connubij vt fructus pignora chara ferat.
Et nati ſubeant patriæ fulcimina ſedis,
Ac habeat generis ſemina læta ſui:
Hauriat ac certum ſeris ſolamen in annis,
Ne miſer omnimoda deſtituatur ope.
Quapropter talem ſociam data dextera iungat,
Cuius ſit probitas, & benè nota fides.
Quo ſua cultor agri committat ſemina fundo
Perpendens, vigili voluere mente ſolet.
Fertilior ſeges eſt, magno cum fœnore ſurgens,
Hìc vbi terra ſuis viribus aucta viret.
Intererit multum ſic tu qua coniuge prolem
Suſcipias, fælix qui pater eſſe cupis.

2. Caſtitas.

Non vagus illicito Veneris carpatur amore,
Sollicitè obſeruent fœdera caſta ſimul.

Sobrius

Sobrius accedat thalamos, pudor adſit vtriſq;, 3. *Sobrictas.*
Semper honeſtatis ſit fideiq; memor.

Cuilibet aptus honos ſit concedendus, & illi 4. *Iuſtitia.*
Qui ſunt fulcra domus, ſint in honore magis.
Nam quos donauit ſors libertate ſecunda,
Hos premere, & magnum eſt ſpernere velle nefas.

Emendet monitis, ſi quæ neglecta videntur, 5. ἐπιείκεια.
Commiſſum miti corrigat arte malum.
Aſpera in vxorem ne ſit cenſura mariti,
Ignoſcat quædam ſi ſine lege facit.
Diligat ipſa ſimul dominumq; verebitur, vt ſit
Sedula, & omne ſuum læta mouebit opus.
Sic documenta dabit, ſua ſint primordia tædis,
Illicò quæ noſcat ſponſa recepta domum.
Ipſa licet iuuenis fuerit, monitore frequenti
Cautior euadit tempore docta breui.

LEGES COMMVNES VIRI ET MVLIERIS.

Est quoq; communis ſociatæ regula vitæ,
Diſponens mira dexteritate domum.
Debetur pietas genitoribus, illa parentes
Namq; viri foueat, huius & ipſe ferat.
Affines coluiſſe iuuat, quoq; ſanguine iunctos
Vt ſociet geminus plurima corda fauor.
Ambobus ſobolis pia cura incumbit, amicis
Hinc locus eſt, ornent remq; domumq; ſimul.

Contendant pariter iuſtos tolerare labores,
Vincere ſe ſtudeant ſedulitate pari.
Iuſtitia & bonitate ſuos præcellat vterq;,
Sic regat, vt turpis faſtus abeſſe queat.
Laude quidem digna eſt capitis iactantia cani,
Temporis oſtentans acta priora ſui.
Demonſtrans natis olim quid fecit honeſte,
Quantaq; ſint proli commoda parta ſuæ.
Quos tulerit caſus, qualis fortuna parata,
Et quantum virtus roboris aucta dedit.
Ex his concipiunt ſtimulos in pectore nati,
Vt rurſum patris languida membra leuent.
Talibus edocti monitis bene cuncta tuentur,
Iamq; ſciunt grates mente referre ſuis.
Quo circa rerum qui vult bonus auctor haberi,
Aßiduè precibus numina poſcat opem.
Dilectæ rationem etiam conſortis habebit,
Hinc pius in patres curet, ametq; ſuos.
Diligat, ac curet veluti ſua viſcera natos,
Inq; ſuo pretio fidus amicus erit.
Omnia peruigili cum ſedulitate gubernet,
Nil prætermittens, quod ſciat eſſe ſuum.
Connubio læto ſic ſecula multa fruatur,
Sufficiant vitæ commoda, proſper erit.

PSAL.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

PSALMVS XLV.

CONTINENS EPITHALAMIVM CHRISTI & Eccleſiæ; Carmine redditus & dedicatus ornatiſſimo ſponſo M. Franciſco Nicolaj, à. P. I. R.

CArmen ſidereo gratum modulabere regi,
Et ſponſo dignum pange Thalia melos,
Præcipiti vt calamo ſcriptor qui nouerit vti,
Excipit appoſitis ſingula dicta notis:
Sic mea lingua, ſagax animus quod ſuggerit omne
Reddere, nil titubans, voce ſonante poteſt.
Tu ſpecie reliquis, formæ quoq; munere præſtas,
Omnis ineſt labris gratia grata tuis.
Propterea omnipotens hoc te dignatus honore,
Dotibus vt tantis munera digna geras.
Ilia fulgenti circum tua cingere ferro,
Et noua victrici ſceptra capeſſe manu.
Acer in hoſtiles metuens nil, irrue turmas,
Experiere potens quid tua dextra queat.
Manſuetus, verax, rigidi quoq; cultor honeſti,
Cum ſis, euertat quis tua regna furor?
Spicula acuta leues fueris iaculatus in auras,
Atq; vbi pectoribus vulnera cæca facis,
Hoſtibus in medijs numeroſum colligis agmen,
Porrigat imbelles quod tibi ſponte manus.
Æternum ſolium regnum ſine fine, decuſq;
Immenſum, imperij ſceptraq; recta tuj,
Et quia iuſtitiam non mota mente volebas,
Deteſtans Zelo cuncta nefanda graui.
Ergo mades totus ſucco lætantis oliuæ
Conſperſus, tinxit te manus alma dej.
Caſſia, mirrha, aloës graueolentis flatus, & omnis
Purpuream imbuerat meſſis odora togam.
Virgineuſq; chorus nitida tibi ludit in aula,
Turba antiquorum ſanguine creta ducum.
Aſtitit a dextris Thalami pars altera coniunx,
Auro mirificis condecorata modis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

Filia cara quid hic ſponſus deſiderat a te,
Intendas aures ad mea verba tuas.
Non populi veteris, non ſit tibi cura tuorum,
Immemorem patriæ te velit eſſe domus.
Captus amore tui eſt, diuùm pater ac hominum Rex,
Cui ſupplex fias thura preceſq; ferens.
Protinus accurrat Tyria de gente puella,
Promat vt in faſtus plurima dona tuos.
Te quoq; ſublimem proſtrato corpore adorent,
In precio quo tu dixeris eſſe prius.
Munditie interiore nitet, cultiſſima virgo,
Prodit & in pictis aurea tota togis.
Innuptæ comites, & amicæ ponè ſequuntur,
Regis vt attingat limina celſa ſui.
Fit ſimul amplexu chari fœcunda mariti.
(Connubio tanto ne ſuus abſit honos)
Plurima fœlici producet pignora partu,
Semina quæ magnæ fulcraq; gentis erunt.
Ergo tui nunquam mutabo oblitus amorem,
Firmabo immota fœdera pacta fide.
Debeo Chriſte tibi grates ex corde viciſſim,
Ampli quod conſors huius honoris ero.
Præterea populi tibi confiteantur & omnes,
Nulla tuum ſileant ſecula ſponſe, decus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)

3799

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3799 4° (LN 655)